# EXERCITATIO VIGESIMA TERTIA,

## CIRCA OPPORTVNA TEMPORA AD EXPVRGATIONEM, IN MORBIS ILLAM

poſtulantibus, præcipueq; in acutis, ad Hippocratis, & Galeni mentem, ubi ſermonis affinitate deturgentes humores medicamẽto expurgãti, an minorativum, vel erradicativum eſſe debeat, controvertitur: tandemq; paradoxum dubium proponitur. Num videlicet, in humoribus turgentibus etiam poſsit fieri Sanguinis miſsio.



AVCTORE DOCTORE IOANNE DE LVNA
Marcenenſi; Medico Hiſpalenſi: Hiſpalenſiſq; Academię, olim rei Medicæ primario Profeſſore.

*Ad ingenuum Lectorem.*

QVVM * GALENVS (SCHOLA MEDICA attestante) duplicem evacuationem insignem agnoverit, venæ sectionem scilicet, & expurgationem, nuper nobis in venæ sectione versatis, superest modò (ut Deo etiam fautore) eàdē de expurgatione speculemur. Nam aliter, quod Poeta in corpore vilipendendo fugiendum docet in animo incomparabilis pretii patiemur, ait enim. 2.acut. cō.1.

* *Corrumpunt ignavum otia corpus;* Ovid. Naso.

*Et capiunt vitium, ni moveantur aquæ.*

Vtinamq; nostræ lucubrationes saltim tardiusculis utiles sint, sin minus doctiorum ingenia hinc capta occasione excitabuntur, quò arti Medicæ accrementum, salutiq; humanæ auxilium accedat, & ut optimè dixit Plato. Hos etiam commētariolos obliviosæ senectuti paramus. Nec verò studiosis viris, & maiorum lectioni invigilantibus, ob id desperandum de suis conatibus est, quod seniores, præceptoresq́; nostri, doctissimi, circumspectissimiq; tam exteri, quàm nostrates exactissimè, atque effatu dignis operibus editis de expurgatione egerint. Cur enim posteris idem nō liceat, non videmus, immo quod nos frequentiùs nō illud intēdamus, ignaviam nostræ ætatis detegit, & ut verum fateamur, maxima est res admiratione, & deberet animadversione esse digna, quòd veterum exemplo ad altiora assumpta, illorum laboribus adjuti nō adigamur. Nisi enim illi nulli rei parcentes, mōstris innumeris edomitis, se se non animantibus modo, sed cæteris hominibus preferri studuissent, vitamq; absque silētio transigissent, quos ductores, quæ monumenta, evolvenda, consulendaq; haberemus? Quamobrem illorum documentis (ut decet) perlectis, reliqua expurgationibus congrua ex suis fontibus exhaurias. Nā impræsentiarum (quę titulus exercitationis præfert) elaboranda nobis pro viribus sunt, hoc unicum, doctum, ingenuumq; Lectorem exorantes, ut quæ dissona praxi Medicæ, methodoq; carentia, aut minus culta invenerit (non enim de lana caprina agitur) nos admoneat, ne, quæ in proximorum salutem (talis est nostra fragilitas) elaborasse, credimus, in pernitiem cedant, Quę si digna fuerint, corrigenda pollicemur. Vale.

CAETERVM anteaquam operi accingamur, ne aliqua sæpius repetantur, neve in medio cursu lectorem molestè remoremur, fundamenta aliquot stabilienda sunt, si imprimis ad memoriã revoces illa omnia, quæ in præcedentis exercitationis vestibulo subjecimus.

Secundò nota, purgationem electivã, rigidissimè exigere omnes illas conditiones, quarum * Galenus sequentibus verbis meminit. *Vt verò hoc fiat, primò considerare oportet, nunquid æger, idoneè se habeat ad hujusmodi purgationem; Nam quicumq; multa cruditate laborãt, vel qui tenaces, ac crassos cibos assumpserunt, quib⁹ itidẽ illia extenta, atque inflata sunt, aut supramodùm calida, atq; ignea existunt, atque hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio, omnes hi haud quaquam apti sunt ad expurgationes. Hæc itaque abisse oportet, humores autem quàm maximè fieri potest, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista paremus, quum quempiam sumus purgaturi.*

(* 1. Aph. co. 24)

Tertiò, annotanda ingeniosissima divisio morborum acutorum, apud * Galenum dicentem sic; *Duplex autem est morborum acutorum natura, vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsedere locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari; vel loco aliquo patiẽte fiunt, ut in morbo laterali, pulmonis inflammatione.*

(* 2. Aph. co. 19)

Quartò advertendum, Humorum morborum committẽtium, * alios esse turgentes, aut prurientes à Latinis appellatos, à Græco verbo Organ, quod turgere significat, transtulit verò bonorum omnium Medicorum parens Hippocrates illud, ab animalibus ad coitum concitatis ad humores. *Nam sicuti illa stare loco non possunt quodammodò concitata, sic & humores*, &c. Alii sunt humores fixi, sive in partibus, ut in superiùs dictis inflammationibus, sive in nostri corporis venis, quos etiam crudos, & cruda appellavit Hippocrates. *Crudi denique, frigidi, crassi, lentique* * à Galeno definiuntur.

(* 1. Aphor. 22. tx. & com.)

(* 4. de sani. tu. c. 4. 1. de alimen. facult. c. de tritico.)

Quintò, Expurgationẽ exerceri revulsionis, dirivationisque, atque evacuationis gratia. Expurgantium verò medicamentorum alia seligendo, alia comprimendo, leniendo nonnulla usus

prædi-

prædictos præstát. Seligentiá já erradicando, quandoq; minorando, já per epicrasim conferút, nónullaq; nostra ætate inventa sunt, veteribus non omnino cognita, quæ etiá seligendo purgant.

Hisce igitur, & aliis Catholicis præceptis substractis, jam inquiritur, quo tempore, ex quatuor universalibus, aut quibus, juxta veterum Medicorum sancita ritè hoc remedium (cujus tot experimur damna) sit præcipiendum? Nam si Neotericorum monumenta evolveris, pauca quædam, & raptim scripta (quod lectoris pace scriptum sit) invenies. Inter quos primas tenet ingeniosissimus, eruditissimus, maximusq; Philosophus Doctor * Franciscus Vallesius, nostrum, Hispanorumque decus, Phillippi secundi à cubiculo Medicus, Academiæ Complutensis Primarius, totius orbis Præceptor, cujus lectione vivimus, assiduèq; utimur. Qui tamen (suo illo de methodo libro, ubi tanquam olor, seu cygnus morti proximus) memoria digna alia, hæc verba scripta reliquit. 4.meth. c. 2.

*Expurgatio maximè familiaris est morborum fini: familiaris etiam principio, & si minus, minimè verò temporibus, quæ intersunt, incremẽto dico; & vigori.* Hactenus elegantissimus vir.

Verumenimverò quamvis multum Vallesio, plurimum tamen Galeno, & rationi dádum, nemo nisi parum in libris versatus negabit, atque sic: si (quemadmodum in antecedenti exercitatione circa venas secandas) in hac augmentum, ab illius censura vindicaverimus, aliquorum ægrotantium vitam, citamq; convalescentiá approbaverimus, ignoscent ejus manes, liberè de veritate, vitæq; humanæ, auxilio maximo, temporisq; opportuni assseveratoribus, cui quæsito suis etiam assertionibus fiet satis, nec verò paucioribus, prout acutorum diversa natura afflagitat, quarum prima talis sit.

*In principiis acutorum secundi generis ex inflammatione, antiquitas seligentibus medicamentis expurgavit.* 1. Cóclus.

Probatur, tum præceptis universalibus * Galeni, primú, já jubentis, in fluxionibus revulsionis gratia, his verbis. *Quare nunc quoque si valenter fluxio irruat, revellere ad cõtraria studebimus.* Tum * idem in exemplis docet. Vbi metu convulsionis ex nervi punctura, ita consuluit. *Si verò vitiosis succis corpus repletum sit, protinus purget.* Similiter & scribens. *Non enim ratio solùm, verum etiam* 4.meth. c. 2. 6.meth. c. 2. 13.met. c. 11.

 *usus*

*usus ipse indicat, aliam alii parti vacuationem congruere siquidem ex ijs, quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonullos sola purgatione per alvum, uno die sanatos vidisti,* addiditq; (quod pro expurgatione inflammationum Hippochondria occupantium, supra jam adnotatum animadvertas.) *Quam rem, si quis facere in Iecinore, cum phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit phlegmonem.* Atque dum eidem, de pleuritidis expurgatione, sermo esset, in hoc prorrupit præceptum (quo principium, declinationemque
4. acu. 76. co. acutorum, de quibus loquimur, est amplexus.) * *Nā vel statim* (inquit) *priùsquam in partem aliquam firmentur humores, medicandum; vel postea, cum ad maturitatem perducti fuerint.* Hæc Galenus; quorum verborum primam partem, nonulli ad turgētes referunt, invito tamen eodem auctore Pergameno, consulenteque, turgentium humorum purgationem faciendam his verbis. * *Verùm in*
1. Aphor. 24. co. *acutis morbis, statim circa principia, circa primum videlicet diem, vel non ultra secundum, si sumus usuri purgantibus medicamentis, quando turgent.* Atque ipsissimus, libro * de victu acutorum; *Quarta, & interdum quinta medicamenta dedimus,* scripsit. Non igitur loquitur
4. citato. ibi de turgentibus, tandemq; ut ad institutum revertamur (methodumque universalem nos cum particulari haud incongruè cōnectamus) legenda curatio illius, * dicentis. *Sanè linguam cujusdam tumefactam vidimus; ut ore hominis contineri non posset, huic nec*
14. method. *vena unquam fuerat incisa, & sexagenarius erat, horaque diei ferè decima erat, cùm ad eum primum accessi, & vidi, ac visum mihi est, usitatis pillulis mihi, quæ ex aloe, scammonia, colocinthide constant* (adverte seligentia) *vespere datis purgandus.* Paulò post. *Purgato scilicet corpore, & humoribus ad inferna revulsis.* Hæc Galenus * Hip-
6. Aph. 17. pocratem observantem imitatus, scribentemque. Lippiētem al-
Li. 6. Epidē. vui profluvio corripi bonum, & * anginosum initio expurgantē.

His adde maximum illud Axioma, * *Opportunum remediorum tē-*
Libr. de opt. sect. ad Thr. 45. c. *pus, ex præsentia postulantium, & absentia impedientium.* Vnde tale erit inflammationum (exceptis, ut dictum est, Hippochondria occupari incipientibus) cæteris requisitis accedentibus, nam humores in illis adhuc vacillāt, atq; ad fluendum sunt apti (nam aliàs ipsi fluunt, fluxioneque inflammationes committunt) in quibus deniq; omnia, quæ in secundo notabili animadvertimus,

reppe-

repperiuntur, & omnino erudis opponuntur.

Sic similiter (& si sine febre sint, Chronicique) legimus Cancro laborantes expurgandos, Galeni * præcepto dicentis. *Communis igitur est, ut humorem, unde vitium est natum, illico evacues, simili vacuationis genere ei, quæ, in aliis tumoribus est comprehensa.* * Et iterum universaliùs. *Omnes enim, quotquot ex melācholico humore fiunt affectus, statim inter initia strenuè purgans, talem humorem evacuantibus, crescere prohibebis, vel usque ad Cancros.* Vnde est, quòd ipse glorietur, mulierem sæpe sanasse, *Cancro incipiente laborantem,* (quamvis quidam non credant) dum hæc scribebat. *Sic * & mulierem quandam singulis annis, verè inchoante similiter evacuans, cùm aliquando tumorem cancrosum in mammilla pateretur, forti, atque frequenti cum medicamento purgante atram bilem, adhibita evacuatione, ad sanitatem perduxi, etsi quando purgatio omitteretur, dolorem profundum sentiebat, & me advocato, statim volebat evacuari;* Hæc ille.

* 14.meth.c.5
* Lib. de atra bile, cap.9.
* 6.Aph.47.

Huc etiam (nisi displiceat) Alopeciæ expurgationem reduces, de qua Galenus. * *Siquidem igitur vitiatur humor, circa unum locum fuerit collectus, medendi scopus erit, ut is quàm celerrimè evacuetur, priusquàm ab ipso, cutis in quendam malum habitum deducatur.* Hæc ille, & quia omnia in brevi membrana scribi non possunt, si qui alii casus similes occurrant (res enim nonullæ aliis similibus explicantur) huic regulæ debent accommodari.

* Lib.2. secundũ lo.c.2.

Forsitan objicies Auctorem quarti, acutorum initio inflammationum purgationem negantem.

Respondet Valleriola, intelligendum de impacto, & in parte ipsa contento humore. Lib.enarr.3.

*In eorundem acutorum incrementis proceres Medicos, medicamentis à nobis lenientibus vocatis, usos constat.* Cõclus. 2.

Docuit illud sic Galenus, * *Procedente autem tempore, ubi phlegmone jam concoquitur, etiam valentioribus uti licet,* & mox, *Sicut etiam per ventrem movere, si cavum afficitur Gnico cibis admixto, & urtica, & Mercuriali, & Epithimo, & polypodio, omnibus præterea, quæ modicè alvum dejiciant.*

* 13. method. cap.15.

Idem sensisse est visus, derivationem medicamento insinuans, his verbis. * *At si jam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, derivare per vicina magis expedit, cùm & in propinquiora translatio sit, &*

* 4.meth. c. 6.

purganti

*purganti medicamento promptior, tum accessus, tum attractus è vicino detur.* Hæc Galenus, è quibus in incremẽtis purgasse, palam est.

Quibus testimoniis talis ratio accedit, Nam * Galenus ipse asserit, *crisim, solùm in principio morbi factam, esse malam*, igitur in augmento etiam salubriter poterit natura decernere, igitur non decernente, Medicus purgabit, unicam, solamque hác rationem scribimus.

* 3. cris.

Forsitan secundò licebit ex eodem Galeno, in incremento purgare, non solùm in præadductis, sed & in pleuritide, perihneumoniaque, quod alicui difficiliùs videri posset. Ait igitur sic. * *In mediocri autem morbo laterali, atque pulmonia profluvium alvi superveniens, potest prodesse ratione evacuationis, & magis, cùm signa coctionis apparuerint inesse paßionibus*, hactenus Galenus, quem, & naturam, cur non imitabitur utriusque studiosus? quidquid doctissimo Doctori Vallesio circa incremẽti expurgationem visum fuerit, quandoquidem asseruit, non verò astruxit.

* 6. Aph. cō. 16

Tandem stet pro colophone consultissimi, consumatissimiq; Medici Doctoris Ludovici Mercado * observatio, dicentis. *Nihilominus tamen, experientia est mihi confirmatum, apparentibus coctionis signis, non tamen perfectis in pleuritico, in quo plurimum humoris redundare cognoverimus, ac periculum est, ne, si in particulam incidat, majus efficiat malum, prodesse plurimum, parvum casiæ præbere, commixtis Agarico, & Rhabarbaro.* Hæc ille doctissimus vir, qui Galeni præceptum adductum nobis, ad praxin reduxisse videtur.

* Lib. de com. & pecul. pagin. 240.

3. Cóclus. *In earundem acutarum cum partis inflammatione vigoribus, non est expurgatio exercenda, nisi fortè in Apoplexia forti, & in simili aliquo casu.*

Diximus in Apoplexia forti, cujus generationem attulit Galenus, * *Omnes autem Apoplexiæ fiunt, vi animali non potente defluere, ad partes, infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem, similem inflammationi, quæ in ipso cerebro fit constituta, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso.* de qua idem loquẽs dicebat. * *Acuti namque, qualis Apoplexia est, simulatque invaserunt, ad extremam magnitudinem ascendunt.* Circa cujus medellam idem vir. *Verum * purgans medicamentum, neq; nominatim perstrinxit, neq; ipsius fecit delectum, Nempe quod ad morbi magnitudinem, virtutisque robur respicientes, vel album veratrum, vel ex aliis, quæ vomitum cient, quidquam*

* 2. Ap. cō. 42.

* Libr. de opt. sect. ad Trasyb. c. 47.

*quam exhibeamus, nemo ambigit*, hęc Galenus, ex quo constat, nisi fallimur, in primis temporibus purgantia locum habere nullum, fixis videlicet jam succis.

Quod verò in universum, in vigoribus interdicta sit expurgatio, est tam verum, quàm quod verissimum, & notissimum ad nostra tempora usq; ab Hippocrate * dicente. *Cùm verò consistunt, ac vigent, quietem habere, meliùs est.* Et suffragante Galeno, illis notissimis verbis; *quorum neutrum oportet adhibere morbo consistente.* Hactenus Galenus; Et quia notissima est assertio, & inferiùs iterum probatur, non plura hic. * 2.Aph.29. tx.& com.

*In acutorum cum partis inflammatione, declinationibus, licet seligẽtibus, & blandis medicamentis uti.* 4. Cóclus.

Hanc veritatem stabilivit Hippocrates: Oraculo illo. *Cocta medicari*, ut testis est Galenus, sic dicens. * *Porrò ad inflammationem habentes, non simpliciter, in omni inflammationis tempore dandum est, sedcùm concocta fuerit, & declinarit, concocta enim rectè medicanda docet Hippocrates*, Hæc hic Galenus, alibi verò sic. * *Magisque in remissionibus*, (ubi etiã blanda in declinationibus tetigit.) *Tum his ipsis audaciùs, quàm ante utendum, tum verò, quæ his valentiora, partim ptizana incoctis, partim tunsis, ac in mollißimum pulverem redactis, exhibenda verò & hæc sunt, vel ex ptizana, vel ex aqua, ego namque etiam Filiculæ, aut Polypodii aliquid in ptizana incoxi nigri veratri corticem*, hactenus Galenus. Notissima * est assertio, ac verè, nisi morbus judicatus fuerit, * *metu recidivæ*, & recrudescẽtiæ materiei, expurgatio ut in pluribus, in declinatione adhibet. * 1.Aphor.22. * 8.secun. loc. cap.3. * 13. methodi. cap.15. * 2.Apho. 12.

*In principiis acutorum, sine partis inflammatione: Nisi materia turgeat, electiva purgatio non est jubenda.* 5. Cóclus.

Expressa est Hippocratis mens dicentis, * *Movere non cruda, nisi turgeant.* Hoc ipsum insinuat, scribens. In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum premeditatione facere, rursusque, secundùm doctissimorum judicium (ut statim dicemus) per illa verba. * *Cùm morbi inchoant, si quid videtur movere dum, move.* * 1.Aph.22. 24. 2.Aph. 29.

Causæ verò, cur turgentes debeant, & possint statim purgari frequenter, & ab omnibus Medicis adduci solent, præcipueque à * Galeno dicente; *Quia coadjuvantem habemus naturam in his, ad* 1. cris. 9.

*facilius trahendum superabundantium humorum motum*, rursusque, *

4. Aph. 1. co. *Nam, cùm superabundantes humores moventur, & per totum corpus feruntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo indigent, manum porrigente, & hunc humorum motum ad alvum deducente.* Nec verò inconvenientia omittenda tria à * Galeno adducta, quæ si negligantur, in turgentibus mors pro foribus est, tandemque ob inquietē coctioni inepti sunt, de quibus postea, plura.

4. Aphor. 10 com.

Multi viri doctissimi urgentiam, non minus in principiis morborum, quàm turgentiam in humoribus expurgandam autumāt, usque adeò, ut Manardus * optimè de re Medica meritus, Hippocratis Oraculo fidem subtraxerit, videlicet; *Coctā medicari, movere non cruda.* Similiter noster Ferdinandus * Mena peritissimus Medicus, cordatusq; vir, circa urgentiā hæc non timuit scribere: *Potuisseque cōmodiùs multò Hippocratē adjecisse; Nisi quid urgeat, expectanda coctio est*, hæc isti viri doctissimi, purgationis amatores.

* Libr. epist.

Cæterum, quantùm judicio assequimur, cum * Hippocrate; *solos turgentes excipiendos; existimamus*, si enim naturam expurgationi admiculantem non habemus (*adminiculatur autem dum cotti, vel turgentes sunt humores*) frustra, immo maximo cum periculo pharmaca porrigemus, cathalogumq; accidentium, quæ supervenire possunt, quis recensebit?

* Lib. Quos, quando, &c. cap. 7.

Quòd si quis Galeni studiosus, objiciat eundem dicentem de principio; *At si res urgeat interim expurgationē in illo esse exercēdam.* Dicendum, * *ob multitudinem, redundantiamque posse accidere, ut aliquis humor turgeat, & pellendus secernatur, unde etiam, in urgentia, ratione turgentiæ salvatur Galenus*, In principiis morborum purgatione utendum jubens, urgente videlicet humore, jam turgente. Nam aliàs urgentibus venæ sectio convenit; quod per se notum in nostra arte est.

Lib. de totius morb. t. c. 3.

* Michael Villanovanus.

In principio etiam febrium pestilentium (sub quibus malignas intelligunt) expurgationibus utendum, major pars Neotericorum doctissimorum vult.

Dic, eos voluisse profluvio alvi, colliquationi pestilenti mederi, videlicet profluvium esse colliquationis remedium insinuant. Nam vel Hippocratem, & Galenum non consuluere, vel con-

tem-

tem ferunt, quorum ille in statu pestilenti sic reliquit scriptum. * *Unoq; verbo, qui longis morbis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt, cunctos namque venter sustulit.* In cujus expositione Galenus ait; *Quæ evacuabantur, erat colliquatio, quod sympthoma est in perpetuum*, &c. Et quia non est nostrum, rem certam, testium multitudine suspectam reddere, sit Vallesius Cobarruvianus doctissimus primus, qui purgationem in omnibus pestilẽtibus, ita pertimescit (& ut credimus in omnibus temporibus) ut sequẽtia scribere nõ dubitaverit. * *Pharmaca verò, non rarò lædunt in morbis pestilentibus, quia convocant malignos succos versus cor, & in ôs ventriculi, nisi mox in initiis, turgentibus succis. Neq; sanè nisi rarò, in talibus spontaneæ alvi fluxiones utiles sunt, Acommodatiores enim sunt evacuationes, quæ ex alto corpore in cutem evocant, & tales etiam sunt arte procurandæ, ut evocatio ad cutem per frictiones: Cucurbitulæ cum scarificatione adhibitæ; & provocatus sudor. Non tamen ob hæc nego, antecedere debere sanguinis missionẽ, ac si res exigat, turgentium expurgationẽ;* Hæc sunt Vallesii verba, immo omnes, principesq; scopi ad rectam pestilentium medellam optimè excogitati, propositique depinguntur, cui tanti viri auctorirate accedat (si accedere dicendum est) Mercati illius omnium divitiarum, mercimoniarumq; Medicarum verissimum experimẽtum, ditissimumque sic dicentis. * *Quia, cùm plurimum sit venenosa materia, utcumq; moveatur, magis lædit, ut videre licet adhuc, in his evacuationib⁹, quas natura molitur, quapropter non licet medicamento purganti uti in hujusmodi febribus, donec morbus inclinaverit, alioqui graviora suborentur sympthomata*, hactenus ille.

*3. epid. 3. 57. tx. & com.*

* *Superiùs citato. com. 8.*

* *Lib. de cõ. & pecul. ind. f. 234.*

Neque ullius momenti fuerit, dixisse; Non omnes pestilentes ægritudines fuisse, futurasve omnibus hominibus, locis, temporibusque anni uniformes, atque aliquando utiles fuisse. Galen. enim de peste affectis loquens, laboratibusq; pestiferis dejectionib⁹, dixit. * *Quare ab initio nunquã fiunt ad bonũ hujusce modi dejectiones, magnam visceris læsionem ostendentes, ad morbos verò consistentes secuntur, sæpiùs natura superfluitates expurgante.* Hæc ille, quæ verissima esse, & manifestissima intellectui, & sensui patet, huic quidem; quoniam nonmodò in constitutio-

* *4. Ap. 21. cõ.*

ne, ſtatuque peſtilenti, colliquationes ſunt ſymptomata, ſignaque ſed in particularibus, privatiſq; peſtilentibus febribus, attenti Medici quotidie obſervant; intellectui verò hoc non diſſonat, quoniam maligna, excellensq; putredo in humoribus

Lib. de ſimp. med. facult.

exiſtens ( * *More medicamentorum putrefacentium, ſcepticorumque*) putrefacit, urit, exedit, ſicq; taliũ dejectionũ, vomituũ, urinarumq; eſt cauſa ſufficiẽs. Et quoniã hęc experiẽtia cõſtant, nõ immoremur in iis, lectorib. ſolùm conſulentes, ut & quæ occurrunt paſsim rectè perpendant, & morborum, atque eventuum in illorum curationibus ſint maximi obſeavatores.

Non minus dubium difficile eſt, quod frequenter de expurgatione in humorum urgentia, in principiis morborum exercenda non ſpernendi auctores, virique doctiſsimi hodie medicinam facientes, conſulunt, quod conſilium acutiſsimo Traliano arrogant.

Sed re vera, nulli præceptorum noſtrorum tali expurgationi utenti aliquando adfuimus, nec uſi fuimus, & ut noſtrum judicium in medium ( ſermone efflagitante ) propallemus, videtur obſtare illud Galeni dicentis. * *Sed neq; ſi fuerit febris cũ profluvio ventris, alia eſt opus evacuatione, verùm hæc ſola ſufficit, quamvis non ſit pro multitudinis ratione: Quicumque enim his plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem movere tentaverunt, in graviora pericula deduxerunt*, hęc ille.

cap. 14. 1. ad Glauc.

Quod ſi aliquis adhuc ( ut vulgo fit ) aphoriſmum Hippocratis adducat, dicentis. * *Quæ ducere oportet, quò natura vergit, per loca conferentia, eo ducere.*

1. Abor. 21.

Hortamur, ut Galeni enarrationem ( illi enim de principiis Hippocratem citant ) legant ſic exponentem. *Quæ nam illa fuerint, quæ ducere oportet, quæ videlicet, neq; judicentur, nec integrè judicata ſint*, hæc ille, ex quibus nos, igitur cocta, igitur nõ in principiis, unde vergentia ( quæ vulgo circumfertur ) nequit in hoc aphoriſmo ſtabiliri.

Huc reducuntur humores ſeroſi, aquei, de quibus ſic Galenus. * *Ad hæc omnia, tempus etiam monſtrabunt, ſiquidem inter initia morbi, tenues, & aquoſos humores evacuabis*, &c. quoniam aqua ( cujus naturam illi reſipiunt ) *nec ſpiſſatur, nec coquitur*; * Ariſt. teſte.

Lib. Quos, quãdo, c. 7.
4. metheoro.

teste. sicq; in humoribus talibus non expectatur coctio.

*In incrementis acutorum eorundem, Medicos veteres purgasse, atq; benignis medicamētis par est; atque in humoribus etherogeneis morbos committentibus.* 6. Cóclus.

Et quod in morborum acutorum incrementis (suppositis etiam priùs adductis) expurgatione sit utendum, patet auctore illo non spernēdo, dicēte. * *Quibus principio, urinæ nebulosæ, & crassæ existūt.* (* Principiū adverte, *id est paucis quibusdam diebus,* ubi elucet, quod etiam Triverius voluit, *sub principio, incremētum comprehendisse veteres.*) *Hos, annuentibus cæteris, purgare oportet,* &c. In quorum verborum explanatione Galenus, *sic* (inquit) *certè impræsentiarum; urinas nebulosas audire oportet; eas, quæ albas habent nebulas, quæ coctionis notæ existunt,* hactenus hic Gal. Coctionis notas in universum dicés, cujus autem coctionis differentiæ, idem sequentibus verbis expresit. * *Sed nihil horum, jā principium esse finitum, ostendit; hoc enim manifestiùs indicium semper expetit, vel solam nebulam albam,* &c. Quibus ostendit, nebulas albas principii transacti, præsentisque incrementi (in quo ab his instituuntur purgationes) notas esse. *Auct. 4. acu. 44. tx. & cō.* *Gal. in cō. 29 2. Aph. Trivius ibi.* 1. c. 17.

Quæ assertio sic confirmari valet. Si in incremētis morborū expurgatio esset timenda, vel propter febrilis caloris augmentum, vel propter turbationem corpori à medicamento accessuram, vel ob virium fractionem, vel propter omnia simul, quæ præcitatus auctor formidabat, dicens. * *Nempe si ventrem moveris, urina non maturaliter, febrisque, citra tum sudorem, tum judicationem in longius tempus producetur,* &c. Sed hęc à benedictis, lenientibusque medicamentis absunt. Igitur non est timenda, nā cassia fistularis, syrupi infusus. Violarum, rosarumque Alexādrinarum (quantumcumq; veteres purgantia calida dixerint) non calfaciunt. Imò tum positivè, tum privativè (quibus scopis purganda gaudēt corpora) refrigerare experimur. Nec ob id corpora perturbant, sed quietem inducunt, minuendoque materiam, perficiendæ coctioni conferant, est necesse, tantumque absunt, ut vires absument, quòd in aliti substantiam (ut pote quæ sint medicamenta alimentosa) vertantur nonnulla, circaq; expurgationem sic administrandam, legendus est *Auct. 4. acu. 45.*

 ægre-

egregius * Doctor, amicus summus, sociorum præcipuus, Hispalensiumq; Medicorum honos, Doctor Ioannes de Carmona, ubi solidam, utilemque Medicinam regulis, canonibusque Medicis ditissimam posteris, non quibuscumque, sed veritatis amicis suscipiendam; admirandamque reliquit.

*In expositione 22. sent. 1. Aphor.*

Sed de Etherogeneis, dissimilaribusque causis, jam à nobis repetitum habes (& ne plus justo timentibus) Tralliani præceptum judicantis. * *In tardis febribus, iisdemque, quæ ex humorum mixtione committuntur, cum incipiente, manifestaque coctione, purgatione utendum.* Illamque portiunculam educendam, datisque induciis rebellis coctioni, ne natura succumbat à multitudine, neve cocta, durior reddita purgationi obsistat.

*G. de amphimerina.*

Advertas circa hæc volumus, parem militare rationem circa expurgationem faciendam; cum signis coctionis manifestæ in increméto causarum similarium homogenearum (quã combinationem in nullo auctore adhuc legisse meminimus) ac in incremento Ethereogenarum militat, in his siquidem ob substantias, humorumque species distinctas, paulatim coctio fit, * quod Galenus in Hippo: dicentem, *æquale per omne tempus, dum morbus judicetur,* volebat sic. *Id enim sæpissimè accidit, ut aliquis secunda die emittens urinam inculpabilem, sequenti nocte culpabilem emittat,* & mox. *Si verò incoctus humor nequaquam interponitur cocto, talis urina optima est. Si igitur urina habeat sedimentum id, candidum, æquale ac leve sit, quo dissolvitur morbo necesse est; si verò non habet prorsus nubeculam aliquam candidam obtinebit.* Hęc ille; At verò in causis dissimilaribus ob unius (ut ita dicamus) humoris partes, tenues, crassasque. Itaq; ob nebulam in utrisq; apparentem, in incrementis expurgationibus utendum blandis, tam in homogeneis causis acutorum, quàm in ethereogeneis ex acutis dicidentiũ, diuturnarumque febrium. Denique quòd in incrementis morborum expurgare liceat, implicitè docuit Hippocrates œnigmaticèque dicens: * *Cum morbi inchoant, si quid videtur movendum, move.* Explicitè satis Galenus * celeberrimis, satisque repetitis verbis. *Quorum neutrum oportet morbo jam consistente adhibere:* His siquidem à vigore sanguinis missionem, & expurgationem seclusisse: principium incrementumq; inclusisse, vel mediocre ingenium investigabit.

*2. progn. cõ.*

*2. Aphor. 29.*

In

*In acutorum sine parte inflāmata vigoribus nullō purgāti medicamento utitur Medica schola, nisi in longißimis, qualis est Quartana.* 7. Cōcluſ.

Nuper ſuprà hanc probavimus ex Galeno, qui ex Hippocrate traſtulit ſic ſcribente, * *Cùm verò conſiſtunt, ac vigent, quietem habere, melius eſt*, Videat doctiſsimus Muſa, ſi ob id quod dixerit Hippocrates (*melius eſt*) ſi ob id liceat, in vigore ex purganti medicamento uti, ad penſum tamē. Hoc idem exiſtimamus, ſenſiſſe in illa ſententia. * *Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, nec movère, neque novare aliquid, ſive medecamentis, ſive aliter irritando*. Vbi Galenus habet. *Totum tunc naturæ permittendum*, atque accidentium ratione; * vitanda eſt tunc temporis expurgatio, eodem Hippocrate dicente, *Circa initia, & fines omnia imbecilliora, cùm verò conſiſtunt, ac vigent fortiora.* 2.Aphor.29. 1.Aphor.20. tr.& com. 2.Apho. 30.

*In declinationibus acutorum talium, atque ex acutis decidentium blanda, mediocris, seligenſque purgatio optimum locum habent.* 8. Cōcluſ.

Hæc eſt veriſsima aſſertio, ac notiſsima methodo rationali, atque indicationibus conformis, illam nimirum Hippocrates voluit, his famoſiſsimis verbis. * *Quicumque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare nō oportet, donec remiſerit febris, ſin minus, non intra quatuordecim dies.* Nam ut Galenus aliorſum dicebat. * *Hac ratione morbum ante decimum quartum coqui non poſſe, ſignificatur.* Voluit idem Galenus, per hęc verba. * *Vbi verò non integrè judicatur, id quod deficit, ſupplere nos convenit*, allegatq; alibi Hippocratem id ipſum docentem. *Quæ perfectè judicantur, non movere, nec medicamentis, neque aliter irritando*, & reliqua digna, ut perlegantur. Si enim corpora integrè nō purgentur, vel cauſæ non judicentur, ſequuntur illa accidentia interminata ab Hippocrate, ſcribente. * *Sitis intùs derelicta; oris inſuavitas, & faſtidium eadem ratione. Quæ enim relinquuntur in morbis*, eodem teſte, *recidivas facere conſueverunt*. Quod autem opportunum tempus ſit declinatio, patet ex præviis diſpoſitionibus. Nam ſanguinis multitudine depta, humoribus craſis, attenuatis, viſcidiſque, inciſsis, obſtructionibus apertis, viis lubricis redditis, coctis, ſeparatiſque humoribus, omnia, quæ purgationem concernunt, fœliciſsimè cedunt à medicamento, nam aliàs ſponte venientes, conferunt, Lib. de purg. medicinis. Com.65. 1.Ap.cō.20. 6.Epid.2.tx 20. 2.Aphor.

quas

quas Medici imitari tenemur, Hippocratis, & Galeni consilio: Symptomaticæ verò aliquando profecerint (quamvis non sinè maximo periculo) malæ, ut signum, & ut causa sunt, sic sentiente Galeno. * *Cùm itaque natura superfluum evacuat, juvatur animal, cùm verò aliqui excernitur casus ratione, nec inde utilitas ulla provenit, & talis evacuatio pravæ dispositionis est signum*, Proindeque summopere placuit semper consilium doctissimi Ludovici * Collado, sic scribentis. *Quo fit, ut opportunum ad purgandos humores tempus, post concoctionem sumi, rectè senserit Hippocrates; quoniã eo tunc meatus aperti sunt, inutilia ab utilibus secreta, & noxii humores demulsi; quare errant toto cælo Medici; humores quietos, & qui concoqui possunt, medicamentis ante coctionem purgare tentantes. Illi verò rectè Hippocratis doctrinam exercent, qui quidem, ejusmodi humores opportuno tempore purgant, opportunum autem tempus; nisi quid impediat, ex coctione petitur.*

4. Aph. 2. cõ.

In Isigog. c. 24. ad finem.

Hactenus maximus ille Præceptor.

## DVBIVM. 2.

### VTRUM EXPURGANS MEDICAMENTUM turgentibus propinandum debeat esse erradicativum, an verò minorativum?

VIDIMVS in prima hujus exercitationis sectione, statim turgentes expurgandos, atque medicamento selligenti; verùm an erradicanti, seu plena expurgatione, nondum decissum legimus, dubium solum prælibatum est, quandoquidem nihil ferè tam antiqui, quàm Neoterici nobis reliquerunt. Quod non tam defectu gravissimorum auctorum, sed quantum arbitramur (quia voto non vivimus uno) & quoniam variæ sunt circa hoc sententiæ, in tãtumque, ut utraq; pars suam sententiam principium per se notum existimet, ea est humanorum ingeniorum varietas, & quod majus est, nonulli eadem pro fundamentis in alios objiciunt, ad firmandam propriam sententiam, & hi eadem in alios, ob idque,

quo-

quorum ferulæ manum admoverimus, firmiter non scientes, quia strictissima via amplianda, & doctiorum judicium expectandum.

Doctores, auctoresque gravissimi scholæ Valentinæ discipuli (quos inviti hic non laudamus, ne invidorum bilem excitemus, cur enim laudes Doctorum non ferent?) Minorativo purganti utendum nuper missis ad nos rationibus, methodisq; universalibus censent.

Primò, *quòd morbi salubres*, de quibus Galenus, 2. Aph. com. 29. *Quatuor tempora percurrant, est necessarium*, quamobrem necessariò portio relinquitur materię in declinatione erradicādę.

Secundò ajunt, febres ex bile putrescente *habere septem illos affectus. 11. methodi febribus putridis assignatos*, sicque donec obstructio tollatur, non posse pœnitùs materiam evacuari.

Tertiò asserunt, obstructionem prędictam *non à quātitate bilis, sed à qualitate illius proficisci, crassitie videlicet, lētoreque*, unde inferunt, quòd præsenti tali obstructione humoribus turgentibus sufficienter purgatis, crassorum, fixorumque portionem adhuc superesse.

Quartò dicunt, ob id *jugulatam à Galeno synochon*, quoniam ablata quantitate sanguinis, extinctoque sic statim febrili calore, potuit ita contingere; at in turgentibus focum putredinis habentibus, disparem esse rationem, quæ in rigore argumenta potiùs militant in quæstionem illam celebrem. Vtrum omnes morbi salutares quatuor percurrant tempora?

Si objeceris Gal. loco eo, *ubi de minorativa expurgatione loquitur, coctionē ibi admittentem*, quæ ratio turgētibus non quadrat, ac proinde, nec minorandos turgentes, quoniam quiete carentes (ut sæpe dictum est) coctionemq; non expectandam. 2. Ap. 29. cō.

Respondent illi, turgentes verè esse extra vasa: intra venas autem, alios magis crassos esse, qui & concoqui possint, & debeant, sicque dubiolum dirimunt.

Si verò replices, nuper assignati, crassi scilicet sunt ejusdem speciei, cum illis, qui turgebant: ergo nec poterunt concoqui. Sequella probatur, * *Quia idem in quantum idem, natum est facere, aut pati idem.* * Axioma.

Respondent, non esse homogeneos, siquidem alii sunt mordentes, alii verò mordacitatis expertes. Exemploque viris doctissimis *sunt pestilentes, qui si quietem habeant, coquuntur.* Ad eundem modum asserunt turgentes, mordacesque statim esse purgandos, & non sanguinem mittendum (quod Hippocrates, & Galenus in quiscentibus humoribus præcipiunt) imò potius expurgatione, præter dictas causas superiùs egere.

Quintò, & ultimo, exemplo febrium intermittentium ex foco repetentium, confirmant, circuituum efficiendorum portione assumpta, sicque initiis turgentium, erradicativum suscipere, Barbarorũ esse dicunt. Quibus auctoritatem * Oddi de
2. *Aphor.* 29. oddis addunt in commentario innuentis, de turgenti locutum Galenum, quando minorandum suadet, quæ sunt hujus opinionis firmissima fundamenta.

Cæterum nostri Præceptores aliud iter insecuntur, nec verò Barbarorum hoc inventum, nam ex nostratibus Hispaniæ
* honos, Doctor Bravo Petrafitanus, Præceptor cõmunis, schole
2. *lib. de ex-purg. c.* 8. leque Medicæ Salmanticæ emeritus, * *Doctorem Christophorum à Vega laudatißimum virum, aliosque miratur, eò oscitationis devenisse, ut dixerint, Hippocratem in præfato aphorismo de humoribus turgentibus verba fecisse, non advertentes, in hujusmodi humoribus evacuationem * minorantem, (seu ut dici solet minorativam) sed erradicativam potiùs convenire, non enim tales humores sunt minorativè evacuandi, verùm funditùs erradicandi*, hactenus ille. Eandẽ
2. *Aph. eod.*
doctrnã scripsit Hipp. Hispanus Doctor Ludovicus * Mercado,
*Lib. de com. pecul. pagin.* *Itaque* (inquit) *juxta optimam rationem censeo, hanc Hippocratis sententiam debere tantùm intelligi de plena purgatione, & nõ de minorativa.* Donatus etiã * Antonius idem sensisse est visus, quorum
*pagin.* 54. probationes (ut viri gravissimi solent decidere solùm) non legimus, quin potiùs, ut diximus, tanquam per se notam relinqunt suam sententiam.

Nos verò, quantum judicio assequimur, ob rationes turgentium purgationem oppugnantes, & inconvenientia ex utraq; parte exorta, quæstionem pro utraque parte defendendã existimamus, estq; ratio, ob quam (nisi melior aliqua candido lectori arriserit) nobis ignoscat; Nam cum erradicativum à mi-

nora-

norativo penes quantitatem tantùm differat, *speciem non variantem*: * *Quantitas verò nec proferri, nec scribi possit*, difficilisque admodum sit, artemq; Medicam in agendo conjecturalem efficiat, fit, ut optimè posit tale problema defendi. *Magis, et minus non variat speciem.*

*An humores turgentes erradicativè, vel minorativè purgentur, problema sit.*

Probaturque Galeni * doctrina (nec in temporis spatio) sic brevissimè solutum fuisse morbum, existimantis, *Sicuti adolescenti* (accidit videlicet) *qui æruginem evomuerat, præstat enim æruginē, nō æruginosum vomitū illā nominare, erat enim talis, qualis, quæ vera ærugo nominatur, florentissimus, verùm inter vomendum, totum corpus convulsum est, & ærugine evacuata febris statim, & convulsio cessavit*; sed cùm turgentes humores his simillimi sint, pharmaco purganti cedunt omnino, morbusq; cessabit. *6. de sangui. missio. 11. & in methodo.* * *5. Aph. cō. 1.*

*Secundò possibili*, * *posito in esse, nullum sequitur inconveniens*; sed possibilis est talis irritatio in humoribus, ut excitent naturalē sensum, facultatemque, qua velit, & cogatur ipsos expellere, vel mediocri pharmaco, & clysteri: ergo magis erradicativo. *Axioma.*

Tertiò, Auctores oppositæ sententiæ, ideo pro purgatione erradicativa, coctionem expectant, quia separatos habent jam humores. Est argumentum; Igitur eàdem ratione erradicativo in turgentibus uti tenētur, quia ipsi synceri, separatique sunt; sequellam probat Aristotelis * Axioma astruens. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. At * sequestratos turgentes esse, legeque mixtionis peccare symptomata, motusque fidissimè illud testantur. *Iacob. Syl. de nat. hum.*

Quartò, Cholera morbus, accedat nobis in exemplum quotidie expertum, in quo ægroti patiuntur citissimè, vel morbi, vel vitæ solutionem, *Vtroque ventriculi ostiolo*, * *natura irritata simul cum inutilibus utilia quoq; mittente*. Igitur à fortiori, in turgentibus propinato pharmaco in principio, solutio fiet. * *De morb. & sympt.*

Qintò, & ultimò, *Si seligentis medicamenti largiori exhibita dosi, seu quantitate* à Medico, *usque ad purum sanguinem* (*quem* * *1. de nat. hu.*

*sibi natura reservat) expurgatione cessat.* cur seligentis medicamenti data ad erradicandum mensura debita (& si crassiuscu-
2. Aphor. 29. li sint humores) nō educentur erradicativè? quæ argumenta sint pro multis, superest igitur, ut his propositis satisfiat.

Et ad primum (hujus enim causa diximus, nostrates Prę-ceptores, illam doctrinam, etiam tanquam verissimam pro sua parte adduxisse) respondendum cum * Galeno docente, non omnem morbum quatuor percurrere tempora, sic dicente: *Itaque ab initio evacuatio per auxilia fieri potest, morbusque dissolvi.*

Libr. de opt. s. ad Thr. cap. 48.

Quòd si adhuc ex aliis Galeni locis replices, dicendum, in tantum præscindi tempora sequentia, ut nec cum sensu influant, nec ad Medici considerationem attineant.

Ad secundum respondetur; Non in omni febre putri repperiri septem affectus, neque ad putredinem gignendam in nostro corpore obstructio est necessaria, ut docuit * Vallesius ex Galeno dicente. *Quemadmodum * per aliam plenitudinem ad facultatem, succi citò veniunt ad corruptionem, ut pote facultate illos elaborante, existente debiliori*, hæc ille, nec est plus in his immorandum.

5. contr. & 1. de dif. c. 6.

Ad tertium respondetur; Humores propriè turgentes, tenues esse, & de talibus præcipuè loquimur, crassi enim tardi sunt, & mobilibus verè oppositi. Tunc etiam quantitate (ut quivis humor caccochimus) peccant, ut supra adduximus, videndus circa hoc * Petrus de Peramato, ubi, *turgentes quantitate peccare vult, probatque.*

Lib. de evac. rat.

Ad quartum, ubi dicitur, turgentibus esse focum putredinis, fatemur, illum focum nobis esse ignotum, locumq; destinatum illis inesse, Non ignaris hæc repugnare naturę, & doctrinę turgētium, sic à Gal. * descriptorum, *Qui nondum firmam aliquam inclinationem, ac stationem ad unam habeant partem.* Hęc ille, sed humor, qui movetur ad focum putredinis fertur ad locum determinatum, & hæc opposita sunt, non igitur in turgentibus est focus putredinis.

8. secūm. loc. cap. 3.

Ad confirmationem verò, qua afferunt. Turgentes verè esse intra vasa, respondendum videtur. * *Turgentes verè esse tam*

Erab. Petr. sitanus.

*tam extra, quàm intra vasa*, nec tantùm discrimen inter humores unius corporis constituendum est, cùm extravasati nuper à venis exierint, germinaque sint remanentium, atque successione, reliquos evacuari contingat.

Ad illud simile adductum febrium intermittentium, atq; per circuitum repetentium, dices; * *in illis remanere dispositionem, à qua febres secundum circuitum, & alii casus generantur,* quàm à turgentibus procul abesse, superiùs dicebamus. 4. Ap. 36. co.

Oddum tandẽ de Oddis conditionaliter locutum patet, nimirum ex mente Philothei, inferiùs aliorsum adducẽdi, sicq; de argumentis hujus partis.

Oportet nihilominus mediis, pro altera parte à nobis elaboratis, respõdere. Et primò ad Galeni * locum, de ærugine evacuata, sic illud accidisse, fortasse verò; quia is humor, os ventriculi, aut circa occupabat, unde facili negotio potuit evacuari, quòd alioquin sine ullo medicamento sæpissimè evenire assolet. Quem, cum Diaria aliqua en anxietate, mordicationeque insequeretur, nil mirum si statim evanuit, sic similiter oris ventriculi convulsio; quod etiam, de iis, qui choleram morbum patiuntur, intelligas, nam & hujus, sermonis ductu, in com. Galenus meminit. 5. Aph. 1. cõ.

Ad secundum, quòd etiam si concedatur, tenendum posse sequi aliqua inconvenientia ex erradicatione, qualis superpurgatio est, in qua plerique periclitantur.

Ad tertium dices, non eandem militare causam in turgentibus separatis, syncerisque, ac in separatis quietis. Hi enim post statum, aut in ipso separantur, ac proinde expurgatio fit in declinatione, *quam esse tempus purgationi erradicativæ opportunum,* supra dictum est, in turgentibus autem, & in principio commensurata esse debet, quod forsitan intelligendum est etiam, sub illis vocibus, à Galeno optimè intellectis, expositisque. *Et cum præmeditatione facere.* 4. & 8. assertionibus.

Tropheum unicum, ingenue lector, in hoc exoptamus, teque exhortamur, ut de cætero aures arrigas, humoribusq; turgentibus omnes attendamus, ex quo enim medicinam audivimus, atque etiam facimus, nullum ex majoribus tot præ-

 cipuis

cipuis Medicis Hispalensibus, Præceptoribusque nostris semper observandis usum expurgatione in turgentibus vidimus; nec in hunc diem audire contigit.

Hìc responsuros viros doctissimos credimus, id nó ausos facere, nec cogitasse. Hippocratis * auctoritate scribentis; *Plurima verò non turgent*, in cujus ex positione Galenus, *illud raro attulit.*

1. Abor. 21. tx. & com.

Rectè quidem nimium venerandi magistri, sed intimius rem inspiciamus, nam *illud raro* statim explicat Galenus, scribens. * *Frequentiùs quietem humores habere, & in una aliqua parte consistere;* hæc ille, ex quo raro humores turgent, quia frequentiùs quietem habent humores, comparatione facta ad consistentes, atque sic, *rarò*, est idem, quod non sæpius, si qua fides eidem Galeno semet exponenti his verbis. * *Quare nó sine ratione dixit, raro circa principia morborum acutorum nobis venire in usum purgationes, quoniam non sæpius turgeant humores in principiis*, itaque facta ad fixos comparatione, raro turgere, est idē, quòd non plerumque, & non sæpiùs, sicq; poterimus hunc timorem excutere.

1. Ap. 14. cō.

1. Aph. 22.

Nam si absolutè loquamur, & sine comparatione ad fixos, humores plerumque turgent, docuit illud expressè Galenus. * *Sic & humores plerumque in motu vehementiori, atque transfluxu ab una parte ad aliam in morbi principio hominē infestant*, &c. quo nil clarius dici potest. Sed eādem veritatem demonstrat ratio talis; Effectus raritas, vel frequentia dependet à causa, ita ut effectus ille rarò, aut frequenter eveniat, cujus causæ, aut rarò, aut frequenter eveniant; sed causæ turgentiæ frequenter eveniunt, frequenterque in nostro corpore præter naturam generantur: ergo & turgētia. Major notissima est, minor probatur. Nam causa turgentię acrimonia est, & mordacitas, sive ex adustione, sive ex putredine, sive ex qualicumque corruptione, aut esu alimentorum, acridineve. Nil sæpius infestans adustione, nil magis communiter eveniens corruptione, & esu alimentorum acrium, acrimonia; ergo & mordacitas cum frequentia sint, qui fieri potest, ut nó frequenter turgentiam efficiant? Quam ultimam, quidam, rationem,

1. Ap. 22. cō.

ſtionem, maximus Galeni diſcipulus manu ſcriptam communicavit, cujus labor laudandus eſt. Ad tertiam, & ultimam partem accedamus.

## DVBIVM. 3.

### AN HVMORES TVRGENTES etiam ſecta vena liceat inanire?

HOC Dubium multis anteactis annis, quibus Galenum indigni exponebamus, delineavimus, novum exiſtimantes, nulloque tunc conſulto auctore, ſed unico Galeno uſi; nunc verò ad incudem revocantes, atque exercitii gratia, prælo parentes, in admodùm doctum, & ſi quem alium, verſatiſsimum virum in Hippocratis, Galenique dogmatibus exponendis Alexandrum Maſſariam incidimus. Qui ſingularis vir non exprofeſſo, nec lubens, ſed ad verſariorum quodam argumento coactus, Galenum in turgentibus ſecuiſſe venas conceſsit, quod ſcilicet voluerit; *In pleuritide deſcedente ſanguinē detrahendum.* Sed cùm textus, & cōmentarium illud plures expoſitiones, quàm annus dies, ferat, doctiſsimus vir, re ſatis dubia, non parum, ſed magis dubiæ ſatisfacere voluiſſe, deprehenditur, deniq; per tranſennam hoc tetigit, quæ dicta ſint candide lector, ne momus, ex alieno nos latas ſeccātes corrigens increpet, alios non omittimus, qui quæſtionem agnoſcentes, à longeque ſalutantes, parum tamen aut nihil attulerunt, quorum mentio poſtea fiat, ſudor hic noſter fuit. 1. *acut.* 11.

Neque mirum eſt, hanc quæſtionem non ventilatam, ut tandem incipiamus; nam ita celebris eſt apud Proceres Medicinæ, expurgatio ſola in turgentibus, ut temerarius, audaxq; ſit judicandus is Medicus, qui ab expurgatione latum unguē receſſerit, docente maximo Hippocrate. * *Medicari in valde acutis, ſi materia turget, eadem die, tardare enim in talibus, malum eſt*, quibus verbis viſus eſt innuiſſe, tempus nō ſupereſſe 4. *Aph.* 10.

venis

venis secandis; quòd remedium fœliciter fere in omnium morborum, precipuèque febrilium initiis suscipitur, ut omittamus illud Hippocratis Oraculum; dicentis; *Nisi turgeat*, quam doctrinam exosculatur, adeòque colit Medica schola, ut nephas sit veterum dogmatum amatoribus in illa hærere; cui sententię vis adjicitur sequẽtibus rationibus, quibus Hippocratis testimonia confirmantur.

1. Apor. 22.

Prima sit; humoribus qualitate molestantibus debetur expurgatio, at turgentes qualitate peccant; igitur turgentibus debetur expurgatio: Major est expurgationis descriptio Galeni dicentis; * *Expurgatio est humorum sua qualitate molestantium evacuatio*; Minor est verissima, quandoquidem turgentes (si qui alii) qualitate molestant: igitur turgentibus expurgatio debetur.

* 3. Aph. 2. cõ.

Secundò, repugnat, quòd venæ sectio conveniat turgentibus ex definitione expurgationis, & venę sectionis, dicente eodem, definienteque Galeno. * *Sanguinis missio est evacuatio, quæ omnes humores indifferenter evacuat, Purgatio verò unum eligit, &c. Stolidumque; eum Medicum judicat, qui inter sanguinis missionem, & purgationem nullum discrimen constituit*; cùm conveniant, quia evacuationes; ratione verò evacuati differant.

* Libr. de expurg. Med.

Tertiò sic. Si posset Medicus turgẽtibus sanguinẽ fundere, neutiquã purgatio formidata in principiis morborum ab Hipp. ad nos, tot turbas dedisset, & frustra (ne quidquã majus dicamus) fieret expurgatio, exerceretur verò excellenter venæ sectio. Sunt enim expurgationes in principiis timendæ, securior verò venę sectio.

Quartò, Si sanguinis missio esset in turgentibus * admittenda, aut propter revulsionem, vel derivationem, vel evacuationis gratia (hos enim usus venæ scissionem præstare jam * probavimus) sed ob nullum respectum enumeratorum potest fieri venæ sectio in turgentibus, igitur in illis locum non habet.

* 2. acu. 11. co.

* Exercit. 22. & in illi' appendice.

Non revulsionis gratia, nam cùm in revulsione origo humoris revellendi exigatur, atque in turgentibus Vndè, & Quò Medicum lateant, videtur usus revulsionis correspondens

dens latere, dicente Galeno: *Semper enim fluxionis motum, ad opposita ducere oportet*, nec derivationis causa convenit, siqui dem incogniti loci, domiciliique, quis vicinum, aut quomo dò agnoscere poterit? Per quod derivatio fit, multò min', evacuationis ergò, quæ rigide partem respicit; eàdem igitur ratione, non est aliquis scopus ad venæ sectionem in humoribus turgentibus. 2. *ad Glauc.*

Quarta, & ultima; Quoniam si tale remedium aliqualiter turgentibus expediret, Hippocrates, Galenus, aliive magnates (qui semina injecerint arti) saltim obiter, vel per transennam venæ sectionis in turgentibus meminisset, aut saltim innuissent.

Vt igitur, quæsiti hujus veritas elucescat, quidque de his nos sentiamus, meliùs videas, est operepretium, quædam priùs notare. Primò naturam posse, quemvis ex quatuor humoribus turgentem reddere, siquidem munus est expultricis facultatis, alienum quantitate, aut qualitate à se abigere. Quod verò quivis humor posit turgere, docuit auctor Prorrhiticorum, conceptis his verbis. * *In phreniticis, in principio vtementer habere, sed crebro permutari, malum id est*, quæ verba his lucidissimis, utilissimisque Galenus exponit. *Contingunt* (ait) *ex ratione in his affectibus, quæ ex copia, vel qualitate fiunt pravorum humorum, in aliâ alias partem interdum principem quidem*, &c. Vbi, ex copia adverte, ex quo eodem auctore si à copia turgentia committitur, cui nam alii instrumento, quàm scalpello gladiolove cedet. 1. *Prorrhit. co. 1. enar. 12*

Secudò adverte; non unicam expurgationem convenire qualitate peccantibus, sed ipsam etiam venæ sectionem, atq; ipsam etiam expurgationem quantitate peccantibus. Primi (nec hoc inutile erit) est testimonium apud Galenum, & locus communis; * *Verumetiam in omnibus putrescens humor concitat*. Atque ubi ait; * *Sanguis autem bifariam naturæ inutilis fit*, &c. Secundi verò, quòd in plenitudine expurget, est testimonium ipsius: ubi ait. *Nam sicut sanguinis missio non solùm ob redundantiam humorum, sed ob morbi vim adhibitur, ita & expurgatio, & propter cujusque succi redundantiam*, &c. & ulteriùs. 11. *met. c. 15.* 9. *meth. c. 11.* 4. *meth. c. 6.*

 * *Cate-*

*Cæterum in redundantia humoris melancholici, sanguinem mittere præstat, aut certè omnino, medicamento uti, atrã bilẽ expurgãte.*

Lib. de sang. miß. c. 8.

Tertiò, notare oportet; quòd venæ sectione utuntur Medici sæpe, vacuationis gratia: ut in utraque plenitudine, in his enim, præsenteque febre, evacuatio per se, & simpliciter dicitur, aliquãdo verò ob præallegatos usus adhibetur, nonunquam illa præcautionis gratia utimur, quibus omnibus sic stantibus, talis conclusio statuitur.

Conclusio.

*Humoribus turgentibus antiquos expurgasse etiam, ex illorum monumentis constat.*

Ante tamen quàm ad hujus assertionis probationem accedamus, liceat imprimis dicere; sæpe nos omnes secuisse venas in turgentibus, re non prævisa, nec infœlici successu; hujus autem sentẽtiæ fuisse deprehenditur * Averrous scribens. *Dicit Hippocrates; mulier prægnans non debet phlebotomari, nisi quando embrionis virtus sit fortis, hoc est, à quarto mense usque ad septimum, nisi humores fuerint furiosi, & pharmacum cõcedit. Ego autem dico, quòd phlebotomia, quando adest repletio, quã embrio non indiget, non est mala.* Hactenus ille.

* 7. collect. c. 4

Ejusdem sententiæ fuerunt Hippocrates, & Galenus, judicio * Philothei magnam apud omnes fidẽ habentis. Hic enim (citante Antonio Musa) in expositione sententiæ sępius repetitæ ait: *Intelligit, si quid movendum, ob materiam turgidam, quod autem dicit, tale est, animadverte, an turgeat materia, & tũc evacuatione utere, hoc enim est, si quid videtur; si non turget, non evacuabis: at hic evacuationem dicit, & venæ sectionem, & expurgationem.* Hactenus Philotheus; è cujus mente, humor turgens quandoque per venæ sectionẽ evacuandus; si verò verba Galeni perpendas, *plerumque,* dicentis, *sunt autem hæ maximè quidem venæ sectio, nonunquam verò expurgatio.*

* 1. Apho. 29.

* In eod. com.

Idem videtur voluisse Arabicę Medicinæ Princeps, illis verbis (à nobis nuper adductis) quibus *pharmaco epoto, nec dejiciente ægro, sanguinem mittendum jubet. Nam nisi id fiat, ne se humores ad partes principes convertant.* Hactenus ille, tertium turgentium humorum periculum annotans.

* 4. 1. c. de ven tr. solut.

Doctor nostras. nosterque Pręceptor Petrus, * de Perama-

to,

po, ne idem voluit. *De quarto* (ait) *dicendum est, quòd sanguine turgente, venam secarent antiqui* (sermo erat de utero gerentibus) *nam minori cum periculo suscipitur venæ sectio, quàm expurgatio, ut diximus; rem autem expresserunt antiqui hi magis periculoso,* &c. * *Lib. de vac. rat. c. 16.*

In turgentibus mittendum sanguinem docet doctus admodum vir, Ioannes Petrus * Merenda, non obiter, sed pluribus in locis, primò dicens: *Quandoquidem turgente materia etiam, purgationem facere, non semper convenit, hocque, tùm propter corporum ad ipsas purgationes ineptitudinem, tum etiam, quia sanguinis mißio nonnunquam abundè satisfacit.* Et rursus: *Verùm quæ actu movetur, similemque ægrotanti inquietudinem inducit, hæc sanè verè turget; hæc ante coctionem (ut dictum est) interdum per sectam venam, interdum autem, per purgationem educi potest.* Tertiò ipse scripsit: *In morbi tamen initio, non incongruum fuisset, humores illos, qui decursu suo, ab una particula ad aliam, inquietudinem excitabant, vel venæ sectione, vel purgatione, quamprimùm minorare, priusquàm ad exteriora erupissent papulæ.* Hactenus maximus methodi cultor. * *Lib. de vac. rat. pag. 133 139. 143.*

Pro auctoritatum tamen firmitate aliquæ fiant rationes, quarum prima sit: Qui metu decubitus, humoris, in partem principem misit sanguinem, visus est turgenti misisse, sed Galenus mittit sanguinem metu decubitus: igitur videtur turgenti misisse. Major ex eo probatur, quòd sanguinis missio, & expurgatio easdem utilitates præstant, sic sunt eædem uni tertiò revulsioni scilicet, decumbentis humoris. Minor verò patet ex Galeno dicente: *Nam in quibus tibi sanguinis fervescentis copia apparet, quàm ocyßimè eum vacuare conator, priusquàm in aliquam partem principem ingruat.* Igitur intentum. * *De sang. miss. cap. 12.*

Secundò, Superabundantes humores sunt evacuandi venæ sectione, turgentes sunt superabundantes; igitur debent venæ sectione evacuari. Majorem confirmat superiùs adducta venæ sectionis descriptio. Minor docetur à Galeno sic de turgentibus loquente: *Nam cùm superabundantes humores moventur, & per totum corpus feruntur.* Turgentes igitur debent, * *4. Aph. com.*

debent, & possunt sanguinis missione evacuari.

Tertiò, ut pluribus arridet, atque ex Galeno * adductum; Turgeat sanguis, cùm nullum sit medicamentum, cui attrahendi sanguinem facultas insit. *Mortuo jam illo homine, venenum cognoscente, neminique revelante*, igitur in talis turgentiæ occursu, ad venæ sectionis auxilium necessariò confugiendum est.

*Libr. de expurg. Med.*

Quartò; Quemadmodum Manardus * optimè de re Medica meritus, vult, ob id *in urgentia humorum etiam expurgandum; quoniam in urgentia eadem inconvenientia reppererit, quæ Galenus ipse in turgentia observat.* Sic nos vice versa; quoniam in urgentia (in qua proculdubio sanguis mittitur) ob inconvenientia annotata in turgentia, expurgandum; ita ob eadem inconvenientia sanguis mittendus est. Multæ poterant aliæ excogitari rationes, sed hujusmodi res non ob multitudinem, sed ob id, quod intellectibus adequetur placere possunt. Quare ad argumenta, pro opposita parte militantia, diluenda accedamus.

*Lib. Epist.*

Ad primum ex secudo notabili respondetur, videlicet humores putridos, & in quali peccantes, posse etiam venæ sectione curari, qui (ut dicebamus) in plenitudine nisi quantitate peccassent, infectionem non paterentur; & ob alia, quæ non sunt hujus loci.

Ad secundum; Iam probavimus, venæ sectionis præcipuum remedium esse in multitudine, & in sanguinis præsentia. Nihilominus tamen posse multitudinem secundariò ex purgatione inaniri; sic etiá expurgatio; qualitate pecántibus præcipuè; quibus secundariò venæ sectionem jubemus.

Ad tertium, dices in turgentibus, sanguinem mitti præcautoriè, atq; ad partium principum tutellam; quod idem aliis multis auxiliis præstamus in custodia partium illarum, in aliisque morbis, præsertimque in pestilentibus.

Ad quartum, ultimumque dices, Hippocratem, * Galenumque id conceptis verbis docuisse; *Quoties in humoribus putrefactis, corruptis, tenuibusque sanguinem mittendum docuerunt, quod non semel præstiterunt.*

*9. met. c. 10.*

Quæ

Quæ si vera sint, & artis Galenicę principiis consentientia, ignoramus profectò, quomodò Hispanorum doctior Doctor Franciscus * Vallesius in suo illo ingeniosissimo libro, sic sanciverit ( sermo erat de turgentibus.) * *Dico autem tales purgandos succos, nulla alterius evacuationis mentione facta, quia verè turgentia semper refertur ad vitium, nunquam arbitror ad copiam.* Hæc sapientissimus Vallesius; Verumenim verò cum probaverimus, turgétiam ad partes animalis sentientes spectare, posseq; quemvis humorem, ita irritare naturam, prurireque, ut & sanguiné de membro in membrum mittat, sicque in turgentibus, sanguinis missionem partim explicitè, partim implicitè defendendo gravissimos viros adduxerimus, & non videmus, quomodò possit expurgari Doctor Vallesius. Secundò, interrogandus erat; si vires laborantis è humorum turgentia collaberentur (*Nam & turgentium robori providebat Galnnus*) esset ne prognosticis relinquendus is ægrotus? Legimus enim * *Clysteria vicem purgetionis supplere.* Et dicebat Hippocrates; *Si verò virtus imbcilla fuerit, glande est utendum.* Et ut postremę hujus exercitationis parti ultimam imponamus manum, studiosis viris, non vagabundis, quæ Michael * Villanovanus forsan reprehensus, quod Manardum perstringeret, scribemus pro Vallesii censuris. *Parcant mihi ejus manes, si pro veritate, quòd sentio ingenuè profitear. Nam ferendum non erat, ut in Medicam artem jam renascentem, error aliquis irreperet: quod facile alioqui foret, ejus viri auctoritate, quæ magnè à multis penditur. Nomini ejus pepercissem, si sperassem cum sua posse emẽdare, hac enim ratione viventium nominibus parco, non quod in eos pugnam detrectem;* hactenus ille. E cujus judicio adæquataq; ratione mortuos, sine invidiæ crimimine constat corrigere, nominareque posse, & decere.

* 2. lib. d. 5.
* 4. Aph. 10.
* 4. acut. 20.
* 1. acut. 45.
* Michael Villanov. in expofit. 22. sen. 1. Aph. pag. 62.

LAVS D. O. M. semperq; Virgini Mariæ, necnon DD. Hieronymo, & Bernardo, & omnibus sanctis.

Quæ si vera sint, si artis Galenicæ principiis consentien-
tia, ignoramus profectò, quomodo Hispanorum doctior
Doctor Franciscus * Vallesius in suo illo ingeniosissimo li-
bro, sic sanciverit, (sermo erat de turgentibus.) * *Dico autem* 1. lib. c. 5.
*tales purgandos fuisse, nulla alterius evacuationis mentione fa-
cta, quia verè turgentia semper referuntur ad vitium, nunquam ar-
bitror ad copiam.* Hæc sapientissimus Vallesius; Verumenim
verò cum probaverimus, turgentiam ad partes animalis sen-
tientes spectare, posseq; quemvis humorem, ita irritare na-
turam, pruritu.. ut & sanguine de membro in membrum
mittat, sicque in turgentibus, sanguinis missionem partim
explicitè, partim implicitè defendendo gravissimos viros
adduxerimus, & non videmus, quomodo posset expurgari
Doctor Vallesius. Secundò, interrogandus erat; si vires
laborantis è humorum turgentis collaberentur (*Iam & tur-
gentium exitus prodit, lascinimus*) esset ne purgandis re-
linquendus is ægrotus? Legimus enim * *Cùm vires urent* 4. Aph. 10.
*purgationis suppetere.* Et dicebat Hippocrates; *Si verò vires
imbecillæ fuerint, glande est utendum.* Et ut postremè hujus exer- 4. acut. 20.
citationis parti ultimam imponamus manum, judiciis vi- 1. acut. 45.
tis, non vagabundis, quæ Michael * Villanovanus forsan
reprehensurus, quod Manardum perstringeret, scribemus pro Michael Vill.
Vallesii censuris. *Tacent* [illegible] 1. 20. in ...
[illegible] 1. Aph. pag.
[illegible] 62.
*qui fuerit, ejus viri auctoritate, quæ magni à multis penditur.* [illegible]
[illegible]
[illegible]
tractetur, hic scenus ille. E cujus judicio adæquatè, ra-
tione mortuos, sed in vitæ certamine con...
... [illegible]

LAVS D. O. M. semperq; Virgini Mariæ, nec-
non DD. Hieronymo, & Bernardo,
& omnibus sanctis.